

bantur, quum magna illorum adhuc fieret accessio. namque a serenissimis ac potentissimis imperatoribus romanis, a LEO-
POLDO quippe MDCXCIII. comes sacri palatii constitutus,
& a CAROLO VI. anno MDCCXVI. nec non MDCCXI. ab
eminentissimo electore Moguntino amplissima consiliarii di-
gnitate auctus, etiam ann. MDCCXVII. serenissimi princi-
pes GVILIELMVS ERNESTVS & ERNESTVS AVGVSTVS vo-
luerunt clementissime, vt esset ab ipsorum consiliis aulicis, &
anno MDCCVI. in societatem illorum venit, qui auspicis po-
tentissimi regis Borussiae meliores litteras in altius elegantiusue
fastigium promouere connituntur. magistratu academico de-
cies functus est & collegio medico saepe numero cum honore
tituloque *decani* praefuit. quæ omnia expresse demonstrant
INGENIO magnum VVEDELIVM.

Magnus fuit MENTE, cuius summam dignitatem praestan-
tiāque in virtute positam esse, recte semper censuit & reipsa,
sua viuendi ratione confirmauit. fuit in NOSTRO ad rem diui-
nam propensissima voluntas & studium pietatis maximum, pro
quo hoc egit & voluit, hoc dixit & sensit, vt deum semper
mente comprehenderet, eumque piis teneret cogitationibus.
cœtibus sacrī omnium diligentissime interfuit, quos celebra-
re nunquam vlla culpa aut negligentia omisit, adeo vt quid-
quid vel votis postulare, vel mente assequi potuit, ad pietatis
retulerit laudem ac præsidium tutelamque in diuino reposuerit
cultu. quam pietatem quamuis non in speciem & ostentatio-
nem, sed intra pectoris penetralia coluerit; nihilominus vt
ignis, latere non poterat, sed per alias virtutes earumque exer-
citaciones multiplices emicuit. in primis elucebat singularis
cura & amor in liberos tenerrimus & officiorum erga alios
incredibile studium, quibus data ipsis seruendi facultate, o-
mnes humanitatis partes præsttit, nec vñquam ita clausit opes
suas, vt miseris afflictisque eas non aperiret. non turgebat
pædagogico fastu, non inflatus opinione doctrinæ reliquos
præ se contemnebat, nec de illis iudicabat sinistre, recte cen-
sens, talem alios castigandi libidinem mentis corruptæ & a ve-
ro amore alienæ clarum esse indicium. muneribus suis omni
fide & diligentia satis fecit, et si vires corporis per senectutem
sensim ac sensim frangebantur. in aduersis, quibus & ipsius con-
stantiam deus explorauit, haud succubuit, omnesque casus et-
iam